

d.  
3960.  
Inc.

~~D. 89.~~


D 3960 Inc



31  
A

**1.**  
**Asluscule Esopi phrygis et**

Auiani Fabulæ nō ille quidem a Guilielmo Gou  
dano versę, sed alię ab Hadriano Barlan  
do mutate & auctę quibusdā velus  
ti appendicibus. Ex Io. Antonio  
Campano & Raphaele  
Volaterrano des  
sumptis.



ANTWERPIÆ

M. D. XII.

Nonomagus

Martinus Dorpius in fabellas a Bar  
lando expolitas.

Vis ludum lepidosq; iocos, veneresq; pudicas?  
Et curas animi vis pepulisse graues?  
Pectore vis hilari perdiscere scita sophorum  
Nec potis es tetricum ferre supercilium?  
Huc ades, hic cunctis blando sapientia vultu  
Arridet, posita iam grauitate procul  
Fabula q̄ pulchre doctorum oracula adumbrat  
Fabula si sit, quæ tantum habet & sophiæ  
Q; docte eloquio est sapientia culta latino.  
Q; recte est Veneri iunctus Apollo probe  
Disce puer, sunt hæc ætati accommoda primæ  
Quãq; nec cano reiicienda seni  
Barlandum seruate meum, seruate puellæ  
Thespiades, vestrum sit decus ipse diu.

Literatissimo viro. M. Joanni Borsale  
lo. Hadrianus Barlandus Sa. Di.

*Borsale fuit  
Decanus Verap  
le quo uide  
Erasmi. T. 3.  
Oper. p. 146.  
252 et 612*

**Q**Vper redeūti mihi isthic domū allate sūt  
a puero aliquot Auiani noīe inscriptę fa-  
bulę quas quū elegātię dolatorio ita ad vnguē le-  
uigasse Guilielmū Goudanū vidissē, yt ne a Mos-  
mo quidē carpi potuissent, cœpi abiecta illico, quā-  
tum scribebā in Titum Liuiū orationē, auidissie  
me lectitare; & iam vel quinque vel sex delibatis oc-  
currerunt paucule, quas ipse non ita multo ante la-  
tinas feceram, Has nō ita vt alias cursim sed sepe  
sepius legi, yt quantū a nostra discreparent trala-  
tiōe cognoscerem, idem argumētum, verba vero  
ita diuersa repperi, yt iam duo ne essent interpre-  
tes, scirem olim dubitaturum neminem, Verum  
unicus adhuc restabat scrupulus, Metuebā enim  
futuros quosdam qui informem me hic facerent  
corniculam & in his quattuor aut quinque fabellu-  
lis verba aliquot immutasse. cætera furtiua esse.  
Ab hac culpa q̄ procul absim tu mi Borsale (sub  
cui⁹ pene oculis hos oīs lusimus apologos) vnus  
omnium maxime nosti, nosti inquam horum me  
prius mutandorū prouinciā cœpisse q̄ postrema  
Goudani editio hic produceretur que iam me vt  
in lucem fabulas emittam meas impellit, vereor  
enim ne si diutius inter chartaceum situm immar-  
cescere si uero alius in eadē forte luctatus harena  
uiam nobis ad editionem obsepiat. Quod si contig-  
erit, quid restat porro nisi vt rapidis tradatur fa-

bula flammis & tot perierint mihi labores, quod  
minime velle te fat scio, cū hic puerit̄ie in primis  
consulere studuerim, quam permultis hodie ludi  
magistris neglectui esse ipse mecum ingemui & tu  
mihi sepe quereris, nuperq; probare non destitisti  
hanc opellam meā tanquam rudiusculis adhuc  
ingeniolis, haud inutilem futuram, Qua voce mir  
rum q̄ nobis fabellas ad prelum mittēdi cupidās  
bonitatis facta fide adaucta sit Ergo igitur habeāt  
adulescentes studiosi, quibus veluti condimentis  
nauseosum reficiāt stomachum, Et infœlicis lolii,  
hoc est sordide barbarie omne quasi fastidiū abs  
tergāt, Auiani fabulas, quas & Goudanus inter  
pretatus est postremo poni loco curauimus in qui  
bus te mihi defensorem volo, & veluti obicem fer  
rocie stulta & immodica blaterantium hominum  
retundende, Tu enim magnam fundis de pectore  
vocem, qua leues & futiles locutores (quorum in  
ore nasci orationem ait Gellius) facile p̄domueris  
& magis mutos piscibus reddideris: Cæterum si  
nec deerunt, qui Laurentiū Vallensem plerasq;  
(quas hic habemus) fabulas trāstulisse claman  
t, nosq; alienis superbire plumis, huius q̄c̄q; nō  
facio pili, quādo illas ita diluerimus, vt ne legisse  
quidem videri possimus. Quod si quis adhuc sul  
gillabit nasutior, culpam hic ne utiquam depre  
cabimur, haud ignari (vt alios interim conticesca  
mus) Antonium Sabellicum grauissimum alioq;  
scriptorem idem factitauisse, quum ex diuersis au  
thoribus Enneades suas ita excerperit vt non pri

us ab aliis scripta sed ex vni<sup>9</sup> ore dictata excepisse  
videatur quem tanti semper estimauimus vt cum  
eo accusari criminis (si modo crimē est aliena vel  
elucidare vel interdum expolire) non recusaueri<sup>9</sup>  
mus. Vale Guilielmus zagarus a nostris homo  
studiis non abhorrens salutem tibi a me iussit ad  
scribi, & amari a te cupit, dignus hoc ipso q̄ te ipse  
plurimum diligit. Iterum Vale Louanii.

¶ Ioannes Borsalus Hadriano Barlando Suo. S.

**A**mplures Esopi fabulas, ppaucas Auiani  
quas ad me misisti Barlande doctissime et  
accepi perq̄libenter & multo maxima cum volu  
ptate iterū iterūq̄ relegi, sunt enī vt ab illis olim  
Iepidissime prudentiq̄ formādoꝝ morū cōsilio ex  
cogitate ita nūc abs te accurate magnoq̄ artificio  
oī deterfa barbarie expolite. Quare illis originē q̄  
dem debent suam, tibi aut nitore suum omnem &  
orationis cultum iure meritoq̄ referūt acceptum  
Itaq; nō magis Esopicas eas censeo posthac q̄ Bar  
landicas appellādas. Cur enim minus tuas vocē  
fabulas, orationis tue celo dedolatas stiliq̄ tui pe  
nicillo pbissime deliniatas q̄ Virgiliana dicimus  
(& quidē nullo refragāte) que is a Theocrito mul  
ta, multa ab Hesiodo, ab Homero complura, non  
pauca etiam a latinis Ennio, Lucretio ceterisq̄ de  
sumpta transmisit ad posteros. Quod & de The  
rentio & de Cicerone ipso aliisq̄ permultis omnis  
generis scriptoribus affirmare possum, quos satis

cōstat non ipsos quę scripsere inuenisse oīa, sed ma  
iorem multo partē aliūde mutuos suis edidisse  
nominibus, Qui minus inquā tue dicātur ee fabu  
lē q̄ Plinii secundi esse dicimus. eiusq; noīe subin  
de citamus: quæcūq; in septem & triginta natura  
lis historiæ libros ex vtriusq; linguę authorib⁹ tā  
multa tamq; varia vndecūq; congeffit? Sed quid  
ego soli ineptus lumen admoueo? quidue in scir  
po (qd' aiūt) quęrito nodū? quasi nō & diui Hiero  
nimi, & Augustini & sint & habeāt, quasi nō cęte  
rorū id genus scriptorū quę illi q̄ plurima nō pepe  
re qdē suo Marte, sed quū ab ethnicis & pphanis,  
tum a sacris vtriusq; linguę scriptoribus nusq; nō  
in sermonem aut homeliā quāpiā; aut in cōmēta  
rios deniq; suos certa ratione certoq; pro re nata  
cōsilio cōportarunt. Nihil est itaq; quod vereare  
ne vel ab Laurētio vallensi (si tamē sunt eius quę  
feruntur fabulæ) vel Guilielmo Goudano videa  
ris quicq; mutuatus atq; Horatianæ corniculę ex  
emplo alienis te plurimis veditare. Quod enim ad  
me attinet satis certo scio te scripsisse ista prius ali  
quanto q̄ Goudani sumptę ab Auiano fabulæ in  
manus tuas peruenissent. Tum autē dissimilis ac  
diuersa lōge oratio diuersum facile arguet autho  
rem. Quod si ita est (vt certo certius est) non video  
cur editionem vel precipitare vel vrgere cogaris,  
quin possis si quid his adiicere libeat aut alio quo  
uis cōsilio vel in nouū vsq; annū quę scripsisti pre  
mere quod quidē prudēter suasit Horatius. Nūq;  
enim non erit liberū tibi etiam cum decem in ista

fuerint harena (quod aiūt) tecum colluctati, quic  
quid velis in publicū emittere. Neq; tamen id eo  
dico q; fabellas has diutius suppressendas censeā  
quasi editioni parū adhuc maturas, q̄ maxime enī  
mihi placent, suntq; mea sententia & prelo & pu-  
blica luce longe dignissime, sed fieri tamē nō raro  
solet vt nequa q̄ nobis iam grandioribus omni ex  
parte satisfaciant si que adulescētes adhuc primo  
illo operis necdū refrigerato amore emisimus.

Verum tamen quando exigua est minimeq; peri-  
culosa editionis huius alea, tētandā eā tibi censeo  
suadeoq; vt si feliciter (quod spero) ceciderit, pub-  
lico iā nūc, & editiōi pares maiora alia que & scri-  
psisti antehac & quotidie cōponis non pauca, Sin-  
minus (quod nolim) minima tamē vel nulla poti⁹  
iactura figulinā istam fueris expertus, Caue itaq;  
si nos amas siq; tui amantissimis gratificatum cu-  
pis ne rapidis tradatur flammis, neue (qd  
Augusti olim Aiaci euenit) incūbat in spongiam  
ne capram syram te omnes clamitemus, qui quod  
beneficii rudibus adhuc puerorū linguis inbuen-  
dis non sine labore paraueras, id eisdem continuo  
& inuidisse & ademisse dicaris, beneficii inquam  
istius minime vulgaris ac neutiquā cōtemnendi,  
& iniciandis sermoni latino pueris cum primis  
cōducibilis, Quid enim illis post prima grāmarie  
ces iacta fundamenta obiicias potius immo quid  
ediscendū iis proponas aliud q̄ fabellas istiusmōi  
vbi & quæ ad mores conducant & quæ ad oratio-  
nis latine puritatē, cōmodissime percipiant, quis

bus cum tenellę adhuc puerorū linguę, tū animi  
(quorū primā esse curam oportet) vna formētur  
opera Est hic præterea & alia cum præceptoribus  
tū discētibus cōmoditas, q̄ vbiuis incipere, nulla  
præpediente religionē ordinis, vbiuis subsistere,  
quāuis fabulā præterire, si quādo res poposcerit ci  
tra omne poterunt detrimētū, quod quidē se penu  
mero in rem est discētū, nec tamē In comediis aut  
historia alioue prolixiori ac ppetuo scripti genere  
facile fieri potest. Q̄ si quē deterrebit mira hic &  
cōsilio ac studio quęsita breuitas q̄si pueriliū inge  
niorū captui aliquanto difficilior hūc ego ad Ho  
ratiū reiciā q̄ sic scripsit in arte poetica.  
Quicquid præcipies esto breuis, vt cito dicta  
Percipiant animi dociles, teneantq̄ fideles  
Cæterum q̄ tantum mihi tribuis vt propulsandę  
hoīm inuidorū & iperitorū ferocię, reprimēdęq̄  
loquacitati defensorē tibi propugnatorēq̄ pos  
tissimū delegeris, quippe q̄ magnā (vt tu prædicās)  
fundam de pectore vocē, facis tu quidē pro amore  
in nos tuo singulari, esq̄ hac in re tui q̄ simillimus  
qui omnia mihi tribuas immerenti, at ego horum  
nihil quicq̄ vel arrogo mihi vel agnosco Satyrici  
namq̄ cōsilio mecū habito & noui q̄ sit mihi curta  
supellex, Sed pro tua tñ in nos obseruantia proq̄  
arctissima nr̄a necessitudine id tibi vltro polliceor  
neq̄ isthic neq̄ alibi vsq̄ me tibi defuturū, vbi cūq̄  
vel opera vel cōsilio vel re quauis alia adesse vel  
pdesse potero, Vale meq̄ tui amātissimū perge vt  
facis redamare, Ex edib⁹ nostris postridie idus No

uembris. Anno post partum virgineum supra  
Millesimum Quingentesimo & Vndecimo.

Doctissimo Viro M. Petro Scoto apud  
Gandauos Gymnasiarche Hadrianus  
Barlandus Salutem.

**E**gerunt mecum sepe numero studiosi hic  
quidā p̄ceptor eruditissime vt quos meo  
(vt dicitur) Marte Latinos fecisse me inaudierant  
Esopi apologos eos colligerē & in libellulū reda  
ctos publicarē. Collegi ne non in omnibus studio  
se morem gererem iuuentuti, quā amo, in qua &  
optimis moribus & optimis literis formāda trien  
nium iam occupor, & quantū vitæ mihi deinceps  
benignissimi dei volūtate erit quantūq; ab occu  
pationibus dabitur ociū. ea oīa subcisiua tempa  
concinnandis his impartīā que tenere profutura  
etati putauero. Tu modo p̄ceptor humanissis  
me has discipuli tui vigiliolas, immo egregiā bñ  
merendi (vbi facultas suppetet) voluntatē fronte  
nō matutina suscipias oro, quā si primę huic mee  
feturæ porrectiorē videro, plura melioraq; fors  
sitan (quæ interim mihi castigantur & vapulāt)  
formulis excudenda tradidero, ex quibus tibi p̄  
ceptori meo quedam nuncupatim dedicauro, q̄s  
pristinam obseruantiam & amorem erga te meū  
tester, Vale ex Louanio Pridie Idus Aprilis.

B i

Ornatissimo pindeq; illustrissimo adulescenti  
Leonardo Seuēbergieñ. Hadrian<sup>9</sup>Barlādus .S.  
**U**teres scriptores tam gręci q̄ latini suas illu-  
stribus pricipibus lucubrationes nuncu pa-  
re solebāt, vt & illorum noīa ab iniuria obliuiois  
asserent, & scriptis suis dignitatē authoritatēq;  
cōpararēt, quorū ego exēplo nup̄ illustrissimos pa-  
truelles tuos charte<sup>in dalm</sup> donauimūsculo Leonari  
de generosissime, fuitq; id eiuscemōi qd̄ vobis tri-  
b<sup>9</sup> eodē & qdē doctissimo vtētibus p̄ceptore scribi  
poterat, nisi certo tū decreuissem singulatim tibi  
aliqñ gratificari, itaq; nūc fabellas aliquot meas  
(meas enī iure appello quas q̄si Romāo sermōe  
donauerī) ad te mitto tuoq; istī elegantissimo īge-  
nio moribusq; suauissimis dedico, Nā cui potius  
labores meos cōmittā q̄ tibi tuisq; patruelib<sup>9</sup>; q  
primas nūc adulescētie methas īgrediētes mani-  
festū ad eloquētiā iter oñditis, quos etiā mihi im-  
mortalitate afficiendos dudū delegi, si qd̄ vnquā  
ingeniolū hoc parere poterit qd̄ laude gloriaq;  
immortali dignū erit, Et (vt redeam vñ digressus  
sum) has superioribus diebus Esopi Auiani<sup>9</sup> fa-  
bellas p̄tim ex subrustico carmīe, p̄tī ex libera, sed  
sordida orōne in latinū sermonē cōuertī, sed q̄ fœ-  
liciter dicere nō est meū Nā de suis hoīes laudib<sup>9</sup>  
insolēter p̄dicāt, expectabim<sup>9</sup> igit̄ iā emergētium  
in lucē fabellularū nr̄arū q̄s sit futurus geni<sup>9</sup>, atq;  
ubi<sup>9</sup> aures habebim<sup>9</sup> arrectissimas vndiq; captā-  
tes nō q̄ multis sed q̄ eruditis placeāt, Tu interim  
oro hasce Vigiliolas nr̄aseo accipias vultu quo  
nos reliquos Esopi apologos audire, ambob<sup>9</sup> (vt

aiūt) brachiis stricū āplecti lectitareq; solem<sup>9</sup> quo  
rū q neq; magnificat vtilitatē, nec mouet festiuita  
te, is (mea qdē snīa) critic<sup>9</sup> plane indoct<sup>9</sup> cēsendus  
est. Vale Louanii ex Porcianorum Gymnasio.

ESOPi FABVLE HADRI. BAR. INTER.

De duobus adolescentibus

**A**Dulescētes duo obsoniū a coquo emere  
parāt, quo alias res agente alter carnē e  
canistello clā suffurat, dat socio, coqu<sup>9</sup> carnē sibi  
subreptā videns furti incusat vtrūq; fur p Iouē se  
nihil hīe, is vero q habuit nihil abstulisse idem ti  
dē deierat, Ad quos me qdē inqt coqu<sup>9</sup> fur & si las  
tet, eū tñ quē iurastis nō latebit ¶ **Morale** Si qd  
peccauim<sup>9</sup> facile id hoīes celauerim<sup>9</sup>, at nō deū, c<sup>9</sup>  
q̄libet remotissimæ aīorū nīorū latebræ p̄spicue  
sūt cōspectui, cui q; nihil nō est notissimū vt q; cun  
cta intuet & audit **De cane & Ianio,**

**A**nis p̄siliēs in macellū clāculū, Ianio peco  
ris cor surripit, atq; in pedes se cōtinuo q̄tū potest  
cōiicit, Carnarius fugitātē minime p̄seqt, verū in  
hūc modum procul adclamitat O sceleste impus  
ne licet quouis nunc abeas, atqui cautiū te post

hac obseruabimus, corculum enim rapiens cor  
animumq; addis nobis. ¶ Morale. Hęc fabula  
significat nonnūq̄ rei iactura nos fieri doctiores  
cautioresq;, Si feliciter sapit qui alieno periculo  
sapit, Si scitū est (vt inquit Comicus) ex aliis peri-  
culum facere tibi quod ex usu fiet, certe tardissim⁹  
is est iure censendus qui suo nihil fit incommodo  
prudentialior ¶ De oue & cane.

**A**nis ouiculā in ius vocat, panē ex mutuo  
debere clamitans, illa it inficias, Miluus  
lupus vultur accersuntur testes, rem affirmant,  
Dānatur ouis, lanaq; quā solā habebat benigne  
porrecta, non cōtentū nimisq; cibi auidū canē in  
se tādē misella conuertit. ¶ Morale, Falsis testi-  
moniis opprimi q̄ plurimos quū nemo nescit, tū  
hęc q̄ optime docet fabellula. ¶ Aliud Morale.  
Imbecillos & inermes facile & cum lucro inter-  
dum sed improbe posternimus, Ouidius,  
Sepe soporatos prosternere profuit hostes,  
Cedere & armata vulgus inerme manu.

De agno & lupo. 4

**A**Gno in siluā comitanti caprū lupo fit  
obuiā, rogat cur relicta matre olētē po-  
ti<sup>9</sup> seq̄tur hircū, suadetq; tādē vt ad distenta lacte  
m̄ris vbera redeat, sperās ita fore agnū vt deuoret  
ille vero Mater me o lupule inqt huic commisit,  
huic mei sūma cura seruādī data est. Parēti poti<sup>9</sup>  
mos gerēd<sup>9</sup> ē q̄ tibi q̄ me subdolis istis dictis illice  
re moliris, atq; illectū mox p̄cerpe, Noui sycophā-  
tias, vna manu lapidē celas, panē ostentas altera

**¶** Morale. Veteratori subdoloq; nusq; (si sapis)  
fidē habeas, hic niger est hūctu Romane caueto,  
& prudētū sequere cōsilia, filius parenti, iuuenis  
seni auscultato. De adulescente & cato

**A**Dulescens quidā in deliciis amoribusq;  
vsurpauerat catū, venerēq; impēsione  
rauit p̄cib<sup>9</sup> in feminā vt hāc trāssfiguraret, Cōmise  
rescit & auditorātē Ven<sup>9</sup>, fit methamorphosis, q̄  
adulescētī misere amāti pplacuit, nēpe tota succi  
plenula, tota cādidula, tota elegātula, Itur deinde  
in cubiculū, ridet, Iudit, Non lōgo vero post tp̄is

iterstitio, p̄cupiēs iā experiri dea nūqd cū corpe  
quoq; cōmutasset & mores, p̄ ipluuiū imittit mus  
culū, ibi risu prorsus atq; ludo res digna accidit,  
Nam cōspectā illico bestiolā inseq̄ muliercula  
Venus indignata, feminæ vultus iterū in catū  
cū pedibusq; manus, cum puis brachia mutat  
cruribus, & cauda est mutatis addita membris.

¶ **Morale** Cœlū nō aīum mutāt qui trās mare  
currunt. Nimisq; difficile est assueta relinquere.  
Naturā expellas furca licet ipsa recurret, inquit  
Horatius De patre & filiis.

**C**omplures habebat agricola filios adu-  
lescētulos, iī p̄petuo vna cōtendere, rixari,  
digladiari, quos p̄ reducere in grām volēs, appo-  
sito ligni caudice iubet singulos breui funiculo  
circūdatū fasciculū effringere, iī becilla ne qcq; co-  
nat̄ etatula, soluit parēs reddiq; singulis virgulā  
quā qū p̄ suis q̄sq; viriculis facile frāgeret, O iqt fi-  
lioli sic vnanīes vos vīcere, v̄rasq; q̄si Herculaneo  
nodo coherētes volūtates dissolueī poterit nemo  
Sin mutuis voluerit, seuire vulnerib⁹ atq; intesti

nū agitare bellū, erit tādē p̄da hostib⁹ ¶ **Morale**  
Docet hic apolog⁹ cōcordia paruas res crescere,  
discordia magnas dilabi, Qd' sapim⁹ igit' cōiūgat  
amor, qd' viuim⁹ vno cōspiret studio, Nil dissocia-  
bile firmū est, inqt Prudētī⁹ De rustico & equo

**R**usticus equū vacuū asinūq; sarcinulis e-  
gregie onustū p̄ducit ad viā, defessus asi-  
nus equū sibi onera vt adiutet orat si saluū velir,  
negat facturū equ⁹, Ille nimio scilicet sarcine pō-  
dere grauat⁹ p̄cūbit, morit⁹, her⁹ oē on⁹ & mortui  
quoq; aselli coriū in equi dorsū reclinat, qb⁹ cum  
ille deprimeret me miserū inquit, obtingere hęc  
mihī necesse fuit oppresso negitāti operam socio  
¶ **Morale**, Maior mīori, virib⁹ p̄stātior ifirmiori,  
opitulari debet, atq; hūer⁹ fesso subiicere Atlātī  
vt pbelle sit vtriq; , deniq; in sūma debet velle q̄  
maxie prodesse hō hoī, ad hōī subuētādū suscita-  
ri debem⁹ formicar⁹ exēplo, quę laborātes si quā  
sub fasce & onere cōcidisse viderit illico suppositis  
adiuuāt humeris. De Carbonario.

**C**arbonarius vt secū in vnīs edib⁹ habitaret

fulconē iuitabat. Tū fullo nō est inqt mi hō istuc  
mihi vel cordi vel ytile, vereor enī magnope, ne q̄  
ego eluā tu reddas tā atra q̄ carbo est. ¶ Morale.

Monemur hac fabella cū inculpatis ambulare.  
monemur sceleratorū hoīm cōsortia veluti pestē  
quādā deuitare Trahūt enī inqt Cāpan⁹ hoīem  
sodalicia, cōmertia etiā in mores penetrāt, & p̄ide  
q̄sq̄ cuadit vt qb⁹ cū versat⁹, De aucupe & palūbo

**I**T venatū auceps, videt nidulantē p̄cul in  
sūma arbore palūbū, adpropiat, insidias  
struit, sed assidue p̄dabūd⁹ cōsiliū querēs quo astu  
q̄busue sutelis auē capiat p̄mit forte calcib⁹ āguē  
hic mordere, illō iprouiso exanīat⁹ malo Memise  
rū inqtq̄ dū alteri īsidiōr ip̄e dispio. ¶ Morale. Si  
gnificat hęc fabula sepe res nouas moliētes suis  
artib⁹ fraude īsidiis circūueniri. De buccinatore

**B**uccinator qdā ad hostib⁹ capit⁹, vicit⁹, abdu  
cit⁹, trepidat ille, supplicare vt parcāt īnoxio, se q̄n  
nihil ynq̄ armorū p̄ter vnā buccinā gestauerit ho  
minē ne potuisse qdē occideī nedū noluisse, illi cō  
tra murmure qū seuo tū yerberib⁹ itonāt, nihil as

ipse (vt fateris) sis rei militaris imperitus cornu  
istoc tuo aliorū excitas euibrasq; a iōs. ¶ Morale  
Grauissime peccant nonnulli qui ad mala queq;  
satis pronis principibus vt inique agant cōsulūt.  
atq; huiusmodi quedā ad illorū aures subinde oc  
cinunt, Quid etiā dubitas? an te principē esse obli  
tus es? an non tibi quod lubeat licet? tu legibus  
maior, in te legirupe nomē cadere haud potest, q  
ipsis etiam dominaris legibus, tui nihil possident  
quod tuū non sit, tu potes & seruare & perdere, ti  
bi fas est opibus dignitateq; augere quē visum sit,  
fas est vbi libuerit adimere, alios alia vel dānant,  
vel cōmēdāt, tibi nihil nō honestissimū futurum

De lupo & cane

**U**pus añlucio canī in silua forte fortuna fit  
obuiam, salutatur, aduentū gratulatur, deniq; rogi  
tat quo pacto tam sit nitidus, cui ille, herilis cura  
hoc efficit, herus me blandientem sibi demulcet,  
de mensa pascor herili lautissima, nunq̄ sub dio  
dormito, tū vniuerse familie non dici potest q̄ sim

gratus, Ne tu inquit lupus multo es foelicissimus  
o canis, cui tan benignus & comis contigerit he  
rus, quocum o ytinam cominorari mihi liceat,  
nullum me animantium esset vsquam fortuna  
tius, Canis noui status cupidissimum videns  
lupum, effecturum se pollicetur vt hereat in par  
te aliqua apud herum, modo genuinam imminu  
ere ferociam & seruitutem seruire voluerit, stat  
sententia lupo, libitum est deambulare ad villā  
interferuntur inter eundum confabulationes  
prorsus iucundissime, Post multa die in albescen  
te nouiq; diluculi rutilante aurora, contritum ca  
nis collum videns lupus, Quid sibi vult inquit o  
canis tua isthæc prorsus depilata ceruix? Solebā  
inquit ille feroculus notis pariter & ignotis alla  
trare, obmordereq; nonnunquam, id herus mo  
leste ferre, crebris me tundere verberibus, prohi  
bere etiam ne quem præter furem lupumq; ado  
rirer, sic mansuetior factus, hoc tamen genialis  
seuitie seruauit signum, His inauditis deterritus

lupus. Ego inquit heri tui amicitiam tanti non  
emo. Vale igitur o canis cum tua isthac seruitu-  
te. mihi mea potior est libertas, ¶ **Morale.**  
Sati<sup>9</sup> est in humili tuguriolo dominum esse & ci-  
bario vesci pane, q̄ in amplissima regia opipare  
pransitare miseramq; seruire seruitutem. liber-  
tas enim sublimi exulat aula, ubi accipienda nūc  
& mussitanda iniuria est.

#### De agricola & canibus

**A**gricola quum ruri plusculos hiemasset  
dies cepit tandem necessariorum rerum  
penuria laborare. interficit oues, mox & capellas,  
postremo boues quoq; mactat, vt habeat quo ine-  
dia pene exhaustum corpusculum sustentet. id  
videntes canes salutem fuga querere cōstituunt.  
se enim non victuros diutius, quando ne bobus  
quidem (quorum in opere rustico faciundo yte-  
batur opera) pepercerit herus.

**¶** Morale. In quã domũ mercedis grã te tra-  
das vide, nonnulli humanissimi sunt heri, multi  
etiam hodie eo dementie prolabantur vt vel ser-  
uos infortunio malo & damno libenter maētēt

De vulpe & leone.

**U**lpecula quę leonis immanitatē īsuetã  
habebat, semel atq; iterũ id forte aĩalis  
cōspicata trepidare & fugiãre, cui cũ iam terciõ  
trux visa esset belua, tantũ abfuit vt metueret q;ã  
quam, vt cōfidenter etiã eã adiuerit salutaueritq;

**¶** Morale. Oēs cōsuetudine sumus audatiores  
vel apud eos quos antea aspĩcere vix ausi fuĩmus

De vulpe & Aquila.

**U**bitũ est vulpeculę plibus foras excurre  
re quare aliquot ab aquila forte cõprehẽse  
suppetias claris implorant gannitibus Mater ad  
strepitũ excita, vt abire sineret aquilã rogitat, illa  
nacta predam negat facturam, subuolatq; pullos  
refectura suos, at astutula vulpes nihil vidēs esse  
præcibus loci alia est aggressa via, Nam ardenti

arrepta facula, aquila conscendens munitiones  
Nunc te inquit tuosq; si potes tuere, ibi trepidula  
aquila incendium dum metuit, se incolumes red-  
dituram vulpeculæ proles confestim pollicetur,  
modo sibi paruisq; liberis parcere velit ¶ Morale  
Per aquilam potentes atq; audacis animi homi-  
nes intellige. Per vulpem pauperulos quos ca-  
lumniis præmere contumeliisq; afficere diuitib;  
eque studiū est, Verū quando est sua & formicis  
ira, impotētes ii acceptam interdum probe vlci-  
suntur iniuriam, De musca & caluo

**M**usca cum forte calui cuiusdam insideret  
capiti, immordere audebat, ille manu  
sublata bestiole imminens sese verberat, Musca  
quæ tum in tēpore subuolarat profusius ridere,  
cui caluus tu inquit meo nunc exultas malo, at si  
semel in nostros incideris casses, actū de te est, icti  
enim morieris. ¶ Morale Non est tutum  
potētioribus insultare qui vel nutu perdere pos-  
sunt, Nimis q̄ sapit qui intra suam se pelliculam

C i

16  
continet.

De Agricola & gruibus.

**G**ruibus anseribusq; sata depascentibus laqueum præ tendit rusticus, irretit forte yna cum illis ciconia m, supplicat captiua, innocentem se esse, clamitans, cæterum nec gruem nec anserem esse, sed auium omnium optimam quippe quæ parenti sedulo semper inseruire eundemq; senio confectum alere solita sit, Cui agricola horum inquit me nihil fugit, teq; perbelle & (quod aiūt) intus & in cute noui, Verum cum nocentibus capta quum sis cum his quoq; morieris.

**¶** Morale Qui flagitium committit & is qui se impuris adiūgit socium, pari pena plectuntur.

De gallo & cato.

**U**enit ad gallum discerpendum catus. Non satis autem habens ad nocendum cause, gallum criminari occipit, obstreperam esse auem dictitans, vtpote quæ voce tam acuta noctu dormientes homines expergefariat, ille se innocentem ait, quando sic excitet in opera <sup>in afa</sup> mortales, Felis contra tonat, nihil agis scelestè, verum

forori concumbis, id gallus quoque purgare quum  
niteretur, Nec hoc inquit perseverantius seuiens  
catus quicquam facis, tu mihi hodie discerperis

¶ **Morale** Verus dictum esse ait Guilielmus  
Goudanus. Ut canem cedas, facile inueniri baculum.  
Grassator, si libet incommodare, facile capit in-  
commodam causam. De opilione & agricolis

**P** Vereditiore pratulo oues pascebat, & p  
iocum terque quaterque lupum adesse clamitans  
agricolas undique exciebat, hii sepius delusi serio  
opem implorati non subueniunt, fitque ouicularum  
grextandem preda lupo, ¶ **Morale** Si mentiri  
insueuerit quisquam, huic si verum narrare coeperit  
haud facile habetur fides, Non ita dissimilis est  
huic ille apud Flaccum de Plano scurra iocus.

Nec semel irrisus triuiis attollere curat

Fracto crure Planum, licet illi plurima manet

Lacrima, per sanctum iuratus dicat Orisim.

Credite non ludo crudeles tollite claudum,

Quere peregrinum vicinia rauca reclamationat.

C ii

De aquila & coruò.

**A**Ltade rupe volitans aquila agni fudit  
tergo, videt coruus, cui quoq; aliquid in  
uadere magnum meus agit, strepitans in aries  
tis vellus itaq; demittitur, impeditur, comprehē  
ditur, & minutis pennis illudendus, verberitan  
dus proicitur pueris.

¶ **Morale** Non  
aliorum sed sua se quisq; virtute estimet. Tuo te  
pede metire inquit Horatius. & Persius  
Tecum habita vt noris q̄ sit tibi curta supellex.  
Chilonis præceptum imitemur quod pro forib;  
templi Apollinis inscriptum extitisse testatur So  
crates. Nosce te ipsum.

De cane inuido & boue.

**C**Anis præsepe fœni plenum inscendit, ve  
nit bos vt comedat, prohibet canis, cui il  
le dīi te cum tua isthac inuidētia perdant inquit  
qui nec ipse fœno visceris nec eo me vesci finis

¶ **Morale.** Multi aliis bonum impense in  
uident quo ipsi carent. Indociles sunt & ad lirā

aselli, in aliis eruditionem & bonas literas non fe-  
runt, Perditi sunt, virtute præditis detrahunt, atq;  
ii locū fecerunt neotherico illi adagio haud qua-  
rā spernando Canis in præsepio.

De cornice & oue

**S**Trepitat in ouicule dorso cornicula, cui  
ouis, cani si sic obstreperes ferres infortu-  
nium At cornix scio inquit quibus insultem, pla-  
cidis molesta, seuis amica, diis de me haud aliter  
visum est. ¶ **Morale** Impotentia Idē etiā  
sincero perpetua est cum malis parata certatio.  
& illiditur solo innocentissimus quisq;, verum  
nocēt & feroculi hominis aures adstrepit nemo,

De pauone & luscinia.

**P**Auus apud summi Iouis sororem & con-  
iugem Iunonem queritur lusciniam sua-  
ue cantillare, se ob raucam rauim ab omnibus  
irrideri, cui Iuno, Plumas inquit habes quibus  
philomenam longe superas, Tu forma te vincit  
Iuscinia cātu, Sua cuiq; a diis dona, Tu igit' forte

C iii

tua contentus abi, ¶ Morale. Quæ diui  
largiuntur grato sumamus animo, neq; maiora  
quesierimus, Superi temere agunt nihil.

23 De mustela & seniculo mure.

**M**ustela per senectã cū iam mures insequi  
nō valeret in farinulę se colliculū illate  
brat, sic sperans fore vt citra laborē venetur, videt  
hanc musculus, cibum credens accurrit, & item  
alter, mox tercius, voratur omnes, Postremo anno  
sus adest mus qui omnes probe noscens mustelæ  
dolos, isthuc o astutula non eo hodie inquit quia  
me vestigia terrent omnia te aduersum spectãtia  
nulla retrorsum ¶ Morale Vbi viribus distitutus  
quis fuerit ingenio opus est, Lisander Lacede  
monius subinde dicere solebat quo nō peruenis  
ret leonina pellis vulpinã assuendam esse, quod  
sic lucidius dixeris, Vbi virtus non satis potest, ad  
hibenda est astutia. De homine & arborib<sup>9</sup>

24 **P**risco sæculo erant & arbores loquaculæ.  
Securim nactus rusticus venit in siluã rogãs ar  
bores manubriũ, annuũt arbores, eo aptato exa

mussim, securi prestrenue condensam perambus  
lans silua qd vult solo equat, Quod vidēs quer  
cus ingemuit. fraxinoq; merito ait hęc patimur  
mala, quippe quæ hosti gladiū qui nos feriret de  
dimus. ¶ **Morale.** Cui beneficias etiā atq; etiā  
vide, nā nō semp profunt, immo etiā īmerito sepe  
obsunt quibus aliquando profuisti

¶ **Hunc apologū elegantē sane & lepidū ex Bap.**  
**Mātua, vertim<sup>9</sup> q Esopi ne an Mā. sit nō laboro**  
**cū illi<sup>9</sup> ephrygia fabulatoris p se ferat festiuitatē.**

**R**usticus qdā ex malo quā in pximo habe  
bat agello, sapidissima quotannis legebat  
poma, hero lecta donabat vrbano, q ille c<sup>9</sup> incre  
dibili pomoz dulcedie, malū tādē ad se trāstulit,  
ea veterrima repēte exaruit, atq; ibi poma pariter  
& malus piere, qd' cū p̄familias nūciaret. Heu  
difficile est inqt annosam trāsplātare arborē, satq;  
supq; fuerat (si frenos meę nouissem īponere cupi  
ditati) fruct<sup>9</sup> ramo decerpere, Hāc fabulā sic M.  
Rusticus ex malo dulcissima poma legebat.

Vnde dare vrbano dona solebat hero.  
Ast herus illectus frugum dulcedine, malum  
Transtulit in laribus proxima rura suis.  
At quia malus erat senior, translata repente  
Aruit, & proles cum genitrice obiit  
Heu male transfertur senio cum induruit arbor  
Inquit herus, fuerat carpere poma satis.

¶ Morale eiusdem.

Qui nimium cupiunt atq; incōcessa sequuntur  
Desipiunt, cohibet qui sua vota sapit.

Hadrianus Barlandus Nicolao  
Putto suo Salutem

**M**itto fabulas non tibi, q̄q̄ tibi quoq; Sed cui  
tu cum maxima gloria prees Goesensi iu  
uentuti, vt ea te hortante continenter has in ma  
nibus habeat, te prælegente ediscat, erit id non so  
lum linguæ orationiq; comendę sed etiam vitæ  
ornande q̄ maxime conducibile. Vale iterū atq;  
iterum, immo semel Vale mi Putte & bene Vale,  
Louanii Ex Porcianorum Gymnasio.

¶ Auiani fabulæ Hadria, Barlan, interprete.

De rustico auaro & ansere.

**A**Nser hero rustico oua aurea in nidulo  
cacabat, gestire ille & auri fame dum a  
uis rimatur intestina, amplissima spe frustratus  
est, stercus enim illi pro auro obiectum. Ad  
amissim quadrat hic prioris apologi morale,

De quercu & arundine

**H**Astus olim atq; adeo insolentiæ plena  
quercus arundinē aggressa est, & si nunc  
inquit pectus animosum tibi procede a gedum ad  
pugnam, vt noster duarum euētus ostendat vtra  
viribus præstet, arundo quercus tantum exulta-  
tionem, fortitudinisq; agitationem vanam nihil  
mirata, hunc in modum ad eam respondit, certa-  
men nunc abnuo, & me mei nihil penitet. Nā in  
omnem partem mobilis, tempestates tamen per-  
uincō sonoras, tu si semel vasto rex Eolus antro  
luctantes emisit ventos; concides, & mihi tum  
rideberis, ¶ Morale. Declarat hæc fa-

D i

bella non eos semper fortissimos esse qui nulla  
etiam laceffiti iniuria aliis insultant, quum sepius  
cule vincant quinec verbulo lesis per tempus as-  
cie cedunt. De piscatore & pisciculo.

3  
**P**iscator misso in aquam cibus illito hamo  
capit pisciculum, orat obsecratque capti-  
uus, se minutulum vti abire sinat & adolescere,  
posteaque maiore potiat. Cui ille ego inquit spē p̄cio  
nō emo, quippe qui eo fueri ingenio spē vt quicquid  
possem mallē auferre potius in p̄ntia ¶ **Morale.**  
Hęc nos monet fabella ne certa vnq̄ incerto & spe  
vnguibus amittamus Quid enī stulti? (vt est ap̄d  
Ciceronē) q̄ incerta p̄ certis habere.

De vulpe & pardo.

4  
**V**lpecula cōtēdebat cum Pardo, de pul-  
critudine certabatur, Pardusque versicolor  
esset multo se forma prestātiore iactitare, Cōl-  
tra vulpes se precellere clamitabat, quippe quæ  
versipellē gestaret aīm ¶ **Morale.** Corpis lepo-  
rē mētis nitor lōge supat, hoīesque noua figura oris

Stulte delectamur quam vel senecta in rugas cō-  
mutat vel vltima linea rerum mors aufert,  
Ouidius Naso.

Forma bonum fragile quātūq; accedit ad annos  
Fit minor & spacio carpitur illa suo.

Nec semper violæ, nec semper lilia florent.  
Et riget amissa spina relicta rosa.

Sapienter igitur fecit Marcus imperator qui fi-  
liabus suis maritos quesuit non qui essent egre-  
gia forma, nobiles etiā, vel diuites, sed qui mo-  
rū probitate atq; modestia viteq; innocentia (vt  
Herodianus scribit) præcellerent, hæc enim sola  
animi bona certa esse stabiliaq; ducebat.

De duobus amicis & vrsō:

**A**Mici duo peregre profecti vrsū habu-  
erunt obuiam, trepidare illi, vnus al-  
tam in arborem ascendere, alter solus vrsō haud  
quaquam par, humi cadens exanimatum sese  
simulare, Explorat hunc bestia, mortuum cre-  
dens abscedit (abstinere enim id animalis  
D ii

a cadauere perhibent) Postea deorsum se ducit  
de arbore alter, viso procul amiculo adpropiat,  
rogitat quidnam in aurem instillasset belua Tū  
ille submonuit inquit me vti ne post hac cum fu-  
catis amicis peregrinarer. ¶ **Morale.**

Donec secundis nauigatur ventis multi erunt  
amici, Q: si vel paululum reflare ceperint ventu-  
li, aufugiunt solos in discrimine deserentes.

unde ait Ouidius

Dum iuuat & vultu ridet fortuna sereno:

Indelibatas cuncta sequuntur opes

At simul intonuit fugiunt, nec noscitur vlli

Agminibus comitum qui modo cinctus erat

Sed non sunt isti amici qui fortuna vultum mu-  
tante animum quoque mutant. Significatur itē

hac fabella foelicem (vt Lucanus ait) se amari  
nescire, atque aduersitatis tempore probari amicū  
& Naso.

Thesca Perithoum nō tam sensisset amicum

Sinon infernas viuis adisset aquas

Si non Eurialus Rutilos cecidisset in hostes.  
Hyrtacide Nisi gloria nulla foret,  
Scilicet vt fuluum spectatur in ignibus aurum.  
Tempore sic duro est inspicienda fides.

De equite caluo.

**A**lius eques accersitã illigarat galeri-  
culo cesariem, peregre profecto furentes  
illã vna cū pilleolo sustulerunt venti, ibi risu oēs  
qui aderant emori, & ille nihil quicq̃ ingemiscēs  
quid ridetis inquit, q̃ qui haud mei erāt crinicali  
in zephyros abierunt quum illi quoq̃ exciderint  
qui natim tecum fuere. ¶ Morale. Sapienter  
fecit eques, qui quod fors tulerit equo aīo tulerit.

De formica & cicada

**H**lems erat, & frumentū in areolã ad solem  
trahenti formicæ forte adest arguta ci-  
cada, rogitat granum, Cui formica cur nō inquit  
& tu meo exemplo estate trahis quodcūq̃ potes  
atq̃ addis aceruo, Respondet illa se id temporis  
cātãdo trãsigere solere Ridet formica, frugibusq̃

in granarium recōditis, si ait estate cātitare soles  
merito iam eges, ¶ Morale. Monemur  
hac fabula ne sic inertī torpescamus ocio vt vi-  
ctui necessaria queritare negligamus, Ad formi-  
cam itemus & quam sit fugiendum ad incuriam  
vsq; cor poris grassans ocium mira animalculi  
nos docebit sedulitas. Quam scite Bigus neo-  
thericus quidem poeta sed haud scio an multis  
etiam veterum melior his versiculis expressit  
E foueis pars haurit humū, pars claudit aquarū

Ostia, constrictis firmiter aggeribus,  
Multe oris maiora trahunt se forcipe grana,  
Auerse multe posteriore pede.

Pars humeris molitur opus, pars educat egras  
Pars effert celebri corpora functa rogo,  
Pars hiemis memor instantis, ne rursus in herbā  
Humida succrescant semina, dente præmit.

8 De aucupe & volucris.

**A**Vceps insidiatur volucris, deuolat e-  
minus merula cui percontanti quid rei

agat, ciuitatū am condere se callidus respondet  
auceps, & cum dicto in insidias abscedit, illa fallē  
ti grano illecta adpropiat, capitur. ¶ **Morale.**  
Versutis architectoribus caue fidem habeas, ni  
caueris irritieris. De leone & tauro.

**L**eonē fugitabat taurus, in hircū incidit, is  
cornu & caperata minitari frōte, ad quē  
plen<sup>9</sup> ire taurus nō tua inquit in rugas contracta  
frons me territat, sed immanē metuo leonē q̄ nisi  
tergo hereret meo, iā scires nō ita puā esse rē pug  
nare cū tauro & q̄ nō sequit<sup>r</sup> de vulnere sanguis.

¶ **Morale.** Calamitosus calamitatē ne addideris  
Sat miser est q̄ semel est miser. ¶ **Fabella de**  
coruo & lupis Ex Iohāne Anto. Cāpano desūpta

**A**orus lupos p̄ ardua montiū iuga comi  
tat<sup>r</sup>, p̄tē sibi p̄dā fieri postulat, qui eos secu  
tus nullo tempore destituisset sociusq̄ fuisset, re  
pulsus deinde a lupis tanq̄ non eos sed prædam  
cibumq̄ secutus nec minus luporum si occiderē  
tur q̄ cæterorū animalū exta fuisset voraturus.

¶ Morale Non quid agamus semper inspiciē  
dum est, sed quo sumus animo quum agimus.

2.

Altera de partu terræ ex eodem.

**U**rgida olim facta tellus & mirū in mo  
dū tumida magnū aliquod paritura vis  
debatur, Accurrūt finitimi, stupēt agricolæ, terrę  
partū inter spem metūq; expectāt, alii Tipheum  
illū Centimanū, alii montes erupturā putabant  
Aperitur terra, p̄diit mus, & qđ miraculo fore oīl  
bus arbitrabantur, in risum atq; iocū cōuerterūt

Apologus de membris & ventre ex Raphael  
elis Volaterrani Anthropologia desumpt⁹

**H**umani artus cum vētrē ociosum viderent  
ab eo discordarūt, & suū illi ministeriū ne  
gauerūt, Cū eo pacto & ipsi quoq; deficerēt, intel  
lexerūt ventrē cibos acceptos p̄ oīa membra dis  
uidere, & cū eo in gratiā redierūt, ¶ Morale

Magne res discordia pereunt, concordia valent.

FINIS

¶ Theodoricus Martinus Alosteñ. Hantverpiæ  
imprimebat An. D. M. CCCC. XII.

Decimo. kalendas. Maias.

2.  
Hæc nunc damus lector, partim locuz  
pletiora castigatioraq;, partim  
noua.

Disticha moralia, titulo Catonis, cum scholiis au-  
ctis Erasmi Roterodami.

Mimi Publani, cum eiusdem scholiis auctis re-  
cogniti.

Institutum hominis Christiani carmine per eū-  
dem Erasmum Roterodamum.

Isocratis parænesis ad Dæmonicum, denuo cū  
Græcis collata per Erasmum.

Erudita iuxta ac salutaris epistola clarissimi vi-  
ri Eucherii episcopi Lugdunensis ad Valerianū  
ppinquū de philosophia Christiana, recognita  
& scholiis illustrata per Erasmū Roterodamū.

**Sum gratia ⁊ privilegio.**

ANTWERPIÆ


M. D. XVII.

Ein grüner Brief











113960




UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK  
GIESSEN





d.  
3960.  
Inc.

# Colour & Grey Control Chart



Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta
White	Grey 1	Grey 2	Grey 3	Grey 4	Black

